

refert, Presbyterum quendam Asiaticum hoc scriptum Luca corrumpere fuisse ausum, qui coram Apostolo Johanne fraudis suæ convictus, eandemque ingenue confessus fuerit. Idem præfat. in Acta, & ex eo Beda: Acta Apostolorum nudam quidem videntur sonare Historiam, & nascentis Ecclesiæ infantiam texere; sed si noverimus, scriptorem eorum Lucam, esse Medicum, cujus laus in Evangelio est, animadvertemus pariter; omnia verba illius animæ languentis esse medicinam.

Chrysoft. homil. i. in Act. & ex eo Theoph. *Omni cura ac diligentia hunc librum scrutemur. Etenim prædictiones, quas Christus in Evangelio significaverat, has re ipsa evenisse ac præstitas esse, & in ipsis negotiis veritatem resplendentem hic possumus videre. Ad hæc magna discipulorum in melius commutatio, quæ a Spiritu eis ingenerabatur, videri; Præterea certæ stabilesque sententiæ hic inveniri possunt, quæ, nisi hic liber extaret, nemini ita plane notæ essent, sed caput & summa nostræ salutis abscondita jaceret, & nonnulla, quæ ad vitam & ad certas ac stabiles de fide sententiâs pertinent, incognita & incertæ essent.*

Idem Chrysoft. homil. i. in Acta. *Hinc non minus nobis contingere poterit utilitatis, quam ex ipsis Evangeliiis, tanta scætet Philosophia, tanta abundat cum omnium dogmatum rectitudine, tum præcipue eorum, quæ de Spiritu Sancto prodita sunt.*

Strigel. part. 3. Locor. p. 239. *Vere dixit Lutherus, librum Acto- rum Apostolicorum esse malleum, quo possit retundi Papisarum arrogantia & inanis jactantia. Admonet vero Luth. in præfat. Germ. huic libro præfixa, principalem ejus scopum ac principale argumentum esse articulum de gratuita nostri coram DEO justificatione per fidem absque operibus legis, quam concionibus Apostolorum & exemplis conversarum gentium luculentissime probatum dedit Lucas. Conf. eundem, in cap. 3. ad Galat.*

Sophronius de Luca: τὸ εὐαγγέλιον, καθὼς ἀκήκοον, ἔγραψεν; τὰς δὲ πράξεις τῶν Ἀποστόλων, καθ' ἃ ἰσόρησεν, αὐτὸς συνέταξεν.

Beda in Act. Lucas, quæ per Apostolos gesta sunt, quæ sufficere credidit ad ædificandam fidem regentium seu audientium, ita scripsit, ut solus liber fide dignus habeatur in Ecclesia de Apostolorum actibus narranti, reprobatis omnibus, quæ non ea fide, qua oportuit, dicta factaque Apostolorum scribere ausi sunt. Idem monet, quod Lucas, ut egregius Medicus & artis pictoriæ peritus fuit, sic in describendis Actis utrumque munus exacte præstiterit ac feliciter, ut neque in pictore optimo artem & ingenium, neque in præstanti Medico curam & industriam requiras. Sic enim penicillum temperavit suum, ut virtutum omnium præcla-

pracla-